

cent conjuges: Et profecto omnes in Pari hoc Generosissimo affatim fuerunt conspectæ. Et quemadmodum duo illa

— — — Clarissima Mundi

Lumina — — —

Sol atq; Luna, lumine & efficaciâ suâ reliquas, quæ liquido appense sunt firmamento, stellas omnes longissimè antecellunt: Ita Illustrissimus Princeps noster cum Generosissimâ conjugæ, ut prosapiâ ac natalibus, sic virtutibus quoq; præire atq; prælucere voluit omnibus. Novit enim Elector Prudentissimus, Principem nihil aliud, quàm facem esse, illustrem in excelsâ speculâ à Deo collocatam, ad quam subditi tanquam in periculoso mundi pelago velificantes, subindè respicere, ac vitæ suæ cursum dirigere deberent. Atq; hinc Filios etiam Generosissimos, quos ex inclytâ Conjugæ suscepit frugaliter simul & liberaliter, hoc est, verè regie educavit, in id intentus præcipuè, ut nec nimiam indulgentiâ animi ipsorum dissoluti liquecerent, nec severiore disciplinâ indurarentur, aut omninò lapidescerent: sed potius ut omni virtuti heroicæ assuefacti, alijs longè evaderent Præcellentiores. Hinc ipsos ab ineunte statim ætate verâ morum doctrinâ, optimarumq; artium studijs erudiri, in primis verò rei Equestri assuefieri voluit, ut hac ratione studerent, quâ togam, quâ Chlamydem,

ἀρετῆς δεῖσειν, καὶ ὑπέροχοι ἔμμενοι ἄλλων.

Eam vero ad rem cum aliorum operam sibi necessariam

B

videret,

